



Tomus XIII  
Miscellaneorum Philoby.

MV

The  
Diff  
Gr  
Jin  
Hl  
Po  
  
Ex  
Re  
Ex  
C  
St  
A  
Ex  
C  
E  
G  
T  
F  
G  
Ex

D. J. G.  
ad

*Comma 22. Capitis XXI.*

D. JOHANNIS

# EXERCITATIO

PHILOLOGICA,

Bartoldo Nihusio Sacerdoti Pontificio

OPPOSITA,

Inq; illustri Academia VVittebergensi

PRO LOCO

In Amplissima Facultate Philosophicâ bene-  
volè sibi adsignato

*Publicæ eruditorum disquisitionis submissa*

M. JOHANNE ERNESTO GERHARDO  
JENENSI,

*Respondente*


M. JOHANNE Hilpert Coburgensi Fr.  
a. d. 20. Decemb.

*In Auditorio Majori horis  
matutinis.*



VVITTEBERGÆ,  
*TYPIS JOBI VVILHELMI FINCELII,*

ANNO CLX IO: CXLIX.



I. N. 7.

**N** pretio semper apud me juxta ac de-  
cuit, scitum illud Ebræorum monitum  
fuit: אל הסחכְל בקנָן אל־בְּכָה שִׁישָׁ בָּו  
וְשַׁ קְנָן חֲרֵשׁ מְלָאָתָ וְשַׁ וְשַׁ שְׁאָפָלוֹ  
בָּו: hoc est, ne inspicias cantharum, sed  
id quod in eo est. Est enim Cantharus novus quando-  
que repletus vino veteri. Est etiam quandoq; cantharus  
vetus, in quo ne novum quidem vinum est. Atq; hoc i-  
psò adducebar etiam ego, ut primo intuitu mihi ima-  
ginarer, in N I H U S I scripto novissimo, (*Hypodigma*  
*inscriptum est, Coloniæq; anno superiori impressum*)  
prisca sapientia thesauros ac supellectilem esse re-  
conditam, idq; eo magis, quod me non fugeret (atq; in  
hoc rectius sensi, quam *Nibusius*, qui nimium quan-  
tū in calculatione suā errat, qvando B. Parentem meū  
Harmonia Evang. Part. I. ut minimum sexagenari-  
um scripsisse tradit, qvi tamen eo tempore vix qua-  
dragesimū quintū attigerat annū. id quod notet *Nib.*  
cōtra *Lappi* sui acumē, de qvo alibi latè differā, ejusq;  
vanitatem *ov. Jēn* demonstrabo.) à sene *Sexagenario*,  
jam vero **בְּשִׁוְשִׁיבָה אַכְמָרָה וְאַוְרָה וְמוֹתָה הַבּוֹנוֹת**  
ut habet Jobus, librum istum fuisse compositum.  
Sed vehementer me fuisse deceptum, paucissima-  
rum saltem pagellarum in isto deponanti senis scri-  
pto convincebat lectio. Perrexī tamen in lectione,  
ac manifestò deprehendi, in vetere isto Cantharo (li-  
ceat ita manere in Judæorum metaphora) ne novum  
quidem inveniri Vinum, Sed acetum mierum ac  
Hypod. p. 72.

felle mixtum. Nolo jam prosequi convitiorum  
calumniarumq; Cacoethes, quò virulentà lingva in  
viros clarissimos ac de Ecclesia Christi optumè meri-  
tos utitur, qvando eos modò stultitia, modò insania,  
modò desipientia accusat nomine. *Laus namq; DE O*  
(ut *Nibusius* verba qvæ de se habet, mea nunc justissimè  
hic faciam) *qvod neq; necem, aut vulneris etiam quid-*  
*quam cassa ista verbula sanctissimæ Virorum DE Ifamæ*  
*inserant, qvin honori potius sint illis ac testimonium*  
*constantiae in religione nostra, à qvâ transfuga-*  
*iste turpem fecit secessionem. Sed agedum! inspicia-*  
*mus vinum illud fæcatum ac turbulentum, qvod in*  
*veteri nobis proponitur Cantharo, ac quò magis illi-*  
*us fæces apparent, infundamus illud vitro purissi-*  
*mo, & ad solem adponamus veritatis. Id quod futu-*  
*rum, si *Vulgatæ versionis* turbidas & inquinatas aquas,*  
*qvas *Nibusius* obtrudere nobis conatur, cum purissi-*  
*mis Israëlis fontibus, textu videl. Script. S. origi-*  
*nali conferre haut insuper habuerimus. Et impræ-*  
*sentiarum id quidem unico saltim demonstrare ani-*  
*mo sedet exemplo, proposito nobis in purissimo vi-*  
*tro, *Glaſium* dico, liceat verò ita ludere in nomini-*  
*bis, qvia sic *Nibusio* videtur, qui mirè sibi in ludicris*  
*hisce placet) atq; ex eodem *Glaſio* repetito illo à*  
**Nibusio*, sed miris modis ab hoc cōspurcato, qvin tan-*  
*tum non *transubstantiato*, ut vocabulo hōc utamur,*  
*utpote magis forsitan hoc quadrante, qvam ad Pon-*  
*tificiam istam S. Cœne *transubstantiationem*. Est verò*  
*particula Commatis 22. Capitis XXI. Johannis, qvæ*  
*in textu authenticō ita sonat: ἐάν αὐτοὶ θέλω μένειν ἔως*  
*τέχουσι εἰ μὲν τοῦτο μανεῖν δομεῖς φέναιμα. qvam vulga-*  
*tus Bibliorum Interpres ita transluxit, vel potius, quæ*  
Scripto-

Scriptorum aut amanuensium vitio in vulgata Bibl.  
 Versionis qvibusdam Codicibus ita legitur: *Sic eum  
 volo manere, donec veniam.* Nos à parte stamus fontium defendimusq; lectionem Græcam, *Nibusius* verò eum Pontificiis nonnullis ( neq; enim omnes adeo stupidi sunt, ut nāvum istum defendere sustineant, quod infrā prolixè ostendemus) corruptos turbidosq; sectatur rivulos, non contentus fontibus. Ita nimirum evenire illis videmus, ut qui semel à meretrice Babylonica p̄fascinati inquinatos biberunt rivos, semper ferē istos anhelent, nec unquam ad dulcissimos adspirent fontes, de mōte salientes Sionis. Aut secus enim atq; *Scortum ceu s̄tiens viator ab omni aquā proxima babit*: Sir, 26, 15. ita qvoq; qui semel apud Babyloniam meretricem nomina sua sunt professi, quascunq; Thaidis Romanæ amore capti, errorum aquas sitiunt, qvin & magis bibunt cupidē, qvā suavisimos purissimosq; Verbi divini fontes. Qui qvidem error tolerari in *Nibaso* facile posset, nisi eō totis allaboret viribus, quō & alios vetustatis, quæ tamen nulla est, specie alliceret, ut relicto vino purissimo textus authenticus, fæcatum illud corruptæ versionis vulgatae villum vel acetum verius sectentur. ac tanto quidem id *Nibusius* pertentat ardore, ut vix perferre possit alios, qui purissima nobis propinant vina. Aut nolo diutius metaphoræ inhærente: nec quæ data Lectio nem ista corruptam defendendi occasio ei fuerit, jā nunc inqviram prolixè. Hoc tamen erit monendum, non adlerere quidem *Nibusium*, articulum fidei esse, verba Christi de Johanne, modò adducta affirmativa sumi (quod ipse cū Vulgato facit, indeq; multis opprobriis in secus sentientes invenitur) debere. Aut cū adfirmet

## IV.

nihilominus, sententiam istam apud suos (quod num  
verum sit, infra videbimus) esse probabilem, nec argu-  
mento ullo refutabilem, ac ægrè ferat, nisi responso fue-  
rit dignatus, cum primis vero, quia nominatum etiam  
beatum perstringit Parentem meum, haut abs re esse  
putavi, locum istum paullò expendere diligentius.  
Ut ut vero Nibusius more suo hinc inde oberret, ac  
nuspian prope domi sit, placet tamen methodicè  
totam hanc rem pertractare, & quid Nibusi ration-  
culis insit momenti, simul indicare. primum verò de  
Lectione, postmodum de verborum ξὺν ἡρῷ agam  
sensu.

## C A P U T I.

**C**oncilii Tridentini de versionis Vulgatae authentiâ de-  
cretum in praxi non adeò rigorose à Pontificiis semper  
observatur. Codices Græci quomodo hunc locum, Comma  
videl. 22. Cap. 21. Joh. exhibeant. Jansenii, Commentarios  
in Concord. Evangel. quanti Pontificii faciant? Onnes  
Codices Græcos ēdu h.l. habere, probatur ex ipsis Pontificiis  
Jansenio ac Maldonato. Aliorum conjectura rejicitur.  
Probatur etiam genuina lectio ex Eclogis MSS. Græcis.

S. 4.

**I**cet non nesciamus, sanctum apud Pontificios  
Concilii Tridentini auctoritate esse, ut vulgata ver-  
sio Latina in omnibus, quæ ad fidem & mores perti-  
nent, retineatur, omnesq; de fide & moribus questiones  
per hanc definitantur, quin ut in disputationibus non ad  
Ebraicæ vel Græca exemplaria provocetur, multò vero  
minus in his, quæ sunt fidei & morum, Latina exempla-  
ria ex Ebraicis & Græcis corrigantur, quia tamen non  
solum eruditiores inter Pontificios communiter, sed  
ipse etiam Nibusius textum Græcum non adeò deprime-  
re evidentur, visum omnino fuit, originalem ante  
omnia consulere in dubiâ istâ Versionis Vulgatae lec-  
tione textum. Hunc ipsum constanter sive omnes  
collati

Co-

**Codices Græcos cōcorditer ēā si, & nō sic habere, clarissimus Gandavensium Episcopus Cornelius prodit Jansenius Comment. in Concordiā Evang. Cap. 148. p. m. 1082. b. & 1084. a. qvilibet non solum Catholico inscriptus Regi Philippo II. est, verū etiam merito suo in magna apud reliquos Pontificios estimatio- ne, talemq; à librorum visitatore & Theologis Lovanii Professore Thoma Goze à Bellomonte retulit Censuram: Commentarios Reverendissimi Domini D. Corn. Jansenii Ganderium Episcopi, in suam Concordiam Evangelicam, magnā tum pietate, tum eruditione, ac judicio maturo propria manu scriptos, edi & typis publicari utilissimum Reipubl. erit. Lovanii Maji 2. Anno 1570. nec aliter Censor de eodem libro, Apostolicus & Regius per Belgium Joannes Molanus, cuius Censura ita habet: Commentarios Reverendissimi Cornelii Jansenii, Episcopi Gandavensis in suam Concordiam & Historiam Evangelicam, jam denuo ab eodem, summa diligentia castigatos & auctos propter singularem pietatem, & eruditionem, Reipubl. Christiane utilissimos esse, commune est Doctorum Virorum judicium. Augusti 3. anno LXXVI. Qvas ego cer. suras prolixē atq; adeò verbotenus referre hīc volui, qvia aliquoties infrā ad Jansenium hunc provocaturus contra Nihusium sum. Eum itaq; ne Nibusius vilipendere vel tam facilē rejicere ausit, è re fuit Censoris Apostolici judicium ob oculos Nibusio ponere. Neq; vero Jansenius solum, concorditer omnes Codices Græcos ita legere testatur, sed & acerrimus alias doctrinæ Pōtificiæ defensor nec Jesuita ignobilis Joh. Maldonatus idē omnino expressis tradit verbis, summo confensi ita b. l. legi adserens, in superq; celeberrimum addit Codicem Vaticanum.**

Quem

Qyem Maldonatū licet à vero aliquando deviare Nibusius miretur, eidēq; Suarii opponat alicubi disputationes, haut tamen existimamus, facilè hic eidem Nibusum omnem derogaturum fidem esse. Cum primis qvoniā ipse etiam de Tirino scribit, qvod recte comprehendetur ( indefinite & absq; limitatione ullā) in Graco esse Si. qvin prorsus etiam in eo est, non ut de lectione Græcā ambigat, sed ut ostendat, Græcum ēādū non merē hypothetice accipi posse ac debere. Rejicenda igitur non immeritō ( haut nisi fallor, repugnante Nibusio) illorum, qvibus miramur adstipulari Bezam, conjectura est, qvi putant, scriptum initio Græcè fuisse ēi ȝω: cūm si habenda Jansenio, Maldonato aliisq; clarissimis Viris fides est, omnes Codd. Græci antiqvi pariter ac recentiores constanter hodie ēādū sive S i legant, in qvorum sanè vel unico saltem illud ēi ȝω fuisset relictum, si prima exemplaria Græca ita habuissent. Nec audet Nibusius adserere, Græcè ita fuisse initio scriptum, vel unicum etiam Codicem Græcum ȝω habere, sed id tantum existimat, dici posse, nihil impedire, qvò minus existimetur interpretē vulg. præteriisse illud ēādū & vertisse ȝω, qvippe qvod subintelligatur sub verbo manere. Qvæ vero de significatione ȝω ēi pro ēi subjicit, nescio qvid sibi illis velit. Hoc tandem sub Capitis hujus finem colophonis loco in gratiam Antiqvitatis cultorum addere visum est, Eclogas Græcas MS. Bibliothecæ Norib. ( de qvarum vestestate egi Exerc. ad N. T. Syr. Disp. 5. pol. 4.) simili-  
ter ēādū h. l. exhibere.

## C A P U T II.

Striaca N. T. versio cuius antiquitatis sit? magni aestima-  
ta illa viris magnis. Adducitur eadem pro genuinā h. l.  
lectione

## VII.

*lectione*, de significatione particulae Syr. **N.** Arabica ver-  
sio utriusq; editionis Lugdunensis ac Romanae pro corro-  
batione genuinae *lectionis* in medium allata, significa-  
tiones verborum Arab. ﴿ ﴽ & ﴿ ﴽ. *Aethiopice* versionis  
Romæ superiori seculo in lucem datae producitur conser-  
sus. Cur versio ista viris doctis haec tenus minus frequen-  
ta, conjectura. Sphalma typographicum ex illa h. l. tolli-  
tur. Aliæ versiones pro nostrâ *lectione* proferuntur. His  
tamen omnibus qvare Nihusius nil moveatur? Ostenditur,  
fine metu Vulgatam versionem deferere Nihusium potuisse.  
Diversa Dd. Pontificiorum de emenda jussu Sixti V.  
Versione judicia.

**P**roximum à textu Græco, antiquitatem si quis  
respexerit, non immerito locum obtinet Para-  
phrasis sive versio N.T. *Syr.* Qvæ versio licet nec  
D. Marco adscribi possit, multò minus *textui Græco*  
æqviparari, vel ad *Antiochenam Ecclesiam* primū  
nascentem referri commodè possit, qvod alibi o-  
stendimus, tantum tamen abest, ut exinde sive *Vulgatae*  
postponamus, sive ex illâ ipsâ ubiq; vel saltim pluri-  
mis in locis correctam, statuamus, ac proinde vili-  
pendamus: ut potius audacter cum magno *Glossio*  
afferamus, in ambigua Graci textus *lectione post aliare-  
quista, à prædicto Dn. Doct. Glassio posita, hanc qvoq;*  
Versionem consuli debere. Nec de nihilo sunt, qvæ  
*Franciscus Lucas Brugensis, Scriptor Pontificius, præfat.*  
super N. T. Comment. n. 6. habet: *Hoc teneo, in-  
quit, indubitanter, Syriacum N. T. textum verius, mi-  
exemplaris Græci & quidem ex primis, loco habendum,  
ac venerandum esse.* Hæc ipsa verò Versio *Syra*, nul-  
lo, quantum indagare potui refragante Codice, sed  
Codicibus tum excusis, tum MSS. qvos Viri Docti con-  
tulere, quoq; consentientibus, qvibus & antiquissi-  
mus Codex MS. qvatuor Evangelistarum ( qvem Bi-  
bliotheca Acad. Altdorffina ceu insigne ne[m]p[er]atoris asser-  
vat

B

vat

## VIII.

vat, mihiq; olim videre ac cū editis Codicibus conferre, beneficio Excellentissimi Hackspani, Præceptoris mei pl. colendi, contigit) ad stipulatur, expressè habet

¶ 1. ¶ 2. Si volo, neutiquam verò ¶ 3.

¶ 1. ¶ 2. vel ¶ 3. ¶ 4., qvomodo procul ambiguo reddidisset Syrus, si in Græco fuisset vel εἰω vel etiam εἴω, prout ex aliis N. T. locis probare de facili nobis esset. Neq; tamen adserimus, nunquam apud Interpretēm Syrum particulam ¶ 1 pro particula εἰ, qvæ aliquādō non purē hypothetica est, in N. T. Græco occurrere, & qvidem sensu eodem (hoc ipsum enim ex Actor. 49. c. 11, 17. Rom. 11, 17. & apud ipsum Evangelistam nostrum ex Cap. 14, 3. ac aliis nonnullis locis manifestum.) Sed hoc adserimus, Syrum particulam εἰω non exprimere solere per ¶ 1, sed potius per ¶ 3, qvomodo etiam h. l. ut probabile maximē est, reddidisset, si vel in Codice aliquo Græco ita legisset, vel εἰω hoc loco accipi ita posse, existimatset. Quid qvod Eſtius, Maldonatus ipſeq; Tirinus (cujus verba citat & adprobat Nibusius) testentur, Syrum non sic, sed Si habere. Miramur verò non immerito, qvare Huntleus, qvi alias ex Ebræo ¶ 1 (qvod aliquando Verē, utique, certē sonare adserit) probare satagit, etiam Græcum εἰω ita in loco nostro Johannéo accipi posse, atq; à Vulgato recte ita acceptum, non observarit, Syrum ¶ 1 qvandoq; non purē hypotheticam insinuare propositionem, sed idem aliquando valere ac postquam. In qvanta verò auctoritate atq; testimio Syra N. T. versio apud Pontificios sit, non est  
hujus

hujus loci adducere prolixè. Videantur tamen Fr. Lucas Brug. præf. ad N. T. Com. n. 6. Bellarm. lib. 2. de V. D. C. 4. Inter Orientalium versiones proxima hodie Syriacæ Arabicæ est. hæc ipsa verò egregiè lectio-  
nē Græcam per *icav* calculo suo confirmat, qvando lo-  
cū hunc in editione Lugdunēsi, qvā CL. debemus Erpe-  
nio, ita exhibet *كَلْمَةٌ لِّيَسْتُ عَلَى إِنْ كَنْتُ أَنْ*  
*لَمْ يَمْسِعْنِي إِنْ كَنْتُ أَنْ* *لَمْ يَمْسِعْنِي إِنْ*  
ح. e. Dicebat illi Jesus: Si volo ut relinqvatur hic, usq; du veni, qvid hoc ad te? seqvere me tu. Editio Romana, qvæ è typographia Medicea prodiit, similiter habet, que madmodū etiam Eſtius cū Aloisio Novarreno hujus meminit. observa tamē, qvōd verba  
exponātur ibi: *ut remaneat*, cùm verbum  
sive *مانسٰ*, *remansit*, *superfuit* notet. pro hoc  
verbo a. v. 23. in utraq; editione, Belgicā videl. & Ro-  
mana occurrit verbū *رسان*, qvod *permansit*, *perst̄it*, *pe-  
رَمَارَفَتْ* &c. significat. Priora verō verba;  
de verbo ad verbum sonant: *Sifui volam*. qvæ phra-  
sis forsitan non incommodè nec contra indolem Lin-  
givæ Arabicæ reddi posset: *Sivellem*. Coeterum ver-  
bum *رسان* occurrit in N. T. Arabico alibialiqvādo pro  
*وَدَاهَلَهُ بَاهِرَوْسَ*, aliqvādo pro *أَفِينِي*, aliqvando & pro  
*إِبِي*, ceu ex variorū exēplorū inductione probari pos-  
set. Verbi verò *رسان* significata præter loca à Schindl. ob-  
servata ostendere possunt Locman. etiam fabula, ab Er-  
pen. edita. Sed & Æthiopicā tandem adducere placet  
Paraphrasin, qvā de licet nullus, quantum novi,  
Interpretum vel Commentatorum aliquid hic mo-  
neat, (ut ut jampridem typis Rome à Fr. Petro Æthio-  
pe, sedente Paulo III. Pontif. exstet exscripta, cen-  
tenis videl. abhinc annis & amplius, forsitan qvia La-  
tinè nunquam fuit reditta, nec in Ebraos etiam,

translata characteres, ut proinde animum prope induxerim, opellā istam favente Numine aliquando in me suscipere, si doctorum Virorum stimulus accesserit & probatio) haut abs re tamen fore existimo hujus quoq; versionis cum textu Græco qvoad Præsentem locum monstrare consensum. Ita verò illa: ΦΩΝΩΣ ἀ ΣΡΩΤΗΣ ἀ ΣΤΡΑΤΗΣ ΔΦΩΤΗΣ ΡΥΛΗΣ ἀ ΣΠΡΗΣ ΠΗΤΗΣ ἀ ΣΤΡΑΤΗΣ ΤΡΑΠΕΖΗΣ & dicit illi JESUS: Si volo ut sit, donec cùm veniam, quid ad te? Ubi tamen notandum, qvòd pro ΣΤΡΑΤΗΣ legendum ΣΤΡΑΤΗΣ sit, prout versu seq. occurrit, abjecta videl. litterā Η, qvæ nunquam apud Aethiopes ita adharet, nec unqvm etiam dictio hæc in N. T. legitur composita cum Η sed vel cum Η ut ΣΤΡΑΤΗΣ & tunc nihil aliud nōtat qvam simplex ΣΤΡΑΤΗΣ vel etiam cum Λ, eodem sensu. Hisce ex Oriente versionibus, Occidentalium haut immerito subnectimus interpretationes sive trāslationes, qvippe qvas nec *Nibsius* prorsus respuit, sed allegatione illarum suam alicubi munire sententiam conatur. Ita vero Biblia Gallica, impressa à Lyon pour Anthoine de Harfj anno 1602. habet: Jesu lui dit, si je veux qu' il demeure jusqu'à tant que je vienne, qu'en as-tu à faire? toy suis moy. Pariter Italica, Jesu li dice, se jo voglio ch'ci resti, insin à tanto che jo venga: che n' baitu à faire? segui mitu. Ita etiam Hispanica, Belgica & Anglicana. Hisce tot ex Oriente atq; Occidente productis in medium testibus *Vulgatam* opponit *Nibsius* versionem, sive ut mollius loqvar, in eo totus est magnoq; uititur molimine, qvòd demonstret, *Vulgatum* vertendo per sic à Græco atq; adeò ab omnibus hisce versionibus modo adductis, non discrepare, sed potius, qvod

## XI.

qvod in Græco textu obscurius est propositum, explicatiū reddere per sic. Scopus ad qvem Nihusius collimet, & qvare tantopere in defendendā istā lectiōne Interpretis vulgati (si tamen adscribenda huic mendosa hæcce Codicum nonnullorum lectio est, & non potiū scribis qvibusdam) laboret, neminem fugere potest, nisi qui nesciat, sub anathematis fulmine sanctum à Pp. Concilii Tridentini esse, ut nemo vulgatam versionem rejicere quovis praetextu andeat vel presumat. Sed non est, cur fulmen hoc brutum Nihusius tantopere metuat, qvippe qvem latere forsan haut potest, qvām emolliat, vel annihilet potiū illud ipsum Andreas Vega, Pontificius non incelebris idemq; Concilii istius Adseffor lib. 15. c. 9. Confer. etiam Petrus Swavis Hist. Conc. Trid. l. 2. p. 125. aliiq;, q vos insignis Theologus Dn. D. Waltherus, præclaro Officinae Bibl. opere adducit p. 343. & testatur etiā id hōc ipso in loco aliisq; plurimis praxis Pontificiorum haut rara. Nisi tamen forsan cum Ludovico de Tena Isag. ad Scrip. l. 1. diff. 6. sect. 3. velit statuere, non solum in iis, que pertinent ad fidem (fidei enim articulum haut esse, ut verba Christi de Iohanne hoc, quo Vulgatus & cum eo Nihusius accipit sensu sumantur, Iubens concedit Nihusius ipse) & mores, sed etiam in omnibus aliis, quantumvis levibus, vulgatam nullum, continere errorem, & Concilium adprobasse eam SIMPLICITER & sine ullo recursu ad aliam lectiōnem. Qvam tamen mentem neutiqvam Concilii Tridentini Adsefforibus fuisse, alii Pontificii mage nasuti hinc inde produnt, & fortassis ipsem Nihusius non penitus inficiabitur. Sed cū totū deniq; caput hoc uno hocce qvāsi ariete everti posse, forsan sibi Nihusius imaginetur,

## XII.

netur, qvōd nequaquam adeò stupidi aut paraphrasisos Chaldaice, interpretationisve Syriace, Arabica & Samaritanā ignari censendi illi sint, qui versionem vulgatam comprobarunt (de qvo tamen adserto haut immerito aliquis dubitare potest, cūm ipsimet Pontificii inter causas authentizatae V.V. hanc etiam numerent, qvōd in Conciliis Generalibus aut paucissimi, aut quan-dog, nulli sint Lingua Ebraea periti) ac nihilominus his versionibus non obstantibus pro Vulgatæ integritate ac puritate pronunciarint, qvæ tamen post novissimam accuratisimamq; Sixti revisionem Sic ostendat: tum respondemus Nibusio; errare humanū esse, atq; adeo, nec ipsum etiam Papam cum suis gna-thonibus ab hac lege excipi posse, vel debere. conser-vantur in hanc rem, qvæ habet Archiep. Florentinus Part. 3. Tit. 22. c. 7. circa fin. Merito itaq; hic obser-vanda illa sunt, qvæ *Auctores prefat. ad Bibl. Sixti V. & Clem. IX.* jussu edita monent ac fatentur, difficile esse affirmare, suam editionem sic correctam, omnibus numeris esse absolutam pro humanā imbecillitate, & non nulla ut consultò mutata, ita etiā, que mutanda videban-tur, consultò immutata relicta esse. Addantur etiam omnino illa testimonia, qvę collegit celeberrimus Dn. Doct. Waltherus I. suprà citato p. 317. atq; istis addatur Bonfrerius ē Soc. Jesu, Proleg. ad Sc. S. p. 52. Sed de hisce satis.

## C A P U T III.

**V**ersionis Vulgatae Latinae Codices h. l. diversimodè le-gere indicatur. qvānam lectio præferenda sit & qui-nam Codices corrupti? Calixtus à Nibusii calumniis vin-dicatur. Illi dum Nibusius stulti titulum attribuit, per hoc ipsum nec sociennis suis idem parcit. qvare tam prou in bonos ac doctos qvosq; viros Nibusius hoc epitheton, inquiritur. Pontificiorum scriptorum consensus cum Cali-

XII.

xtō circa h. l. ostenditur. Cur à virorum eruditorum  
sed non Catholicorum encomio Nihusius abstineat, ex ipso  
Nihusio monstratur.

**R**ESTAT UT IPSOS Versionis Vulgatae excutiamus Codices, quorum nonnulli *Sic*, alii *de-*niq; *Sic* hoc loco habent, teste *Corn. Cornelii à Lapide*, cujus verba allegat Nihusius p. 238. Qvæ-  
ritur itaq; nūc, qvænā ex his lectionibꝫ melior alterā sit, vel num Codd. nonnulli *vicio librariorum corrupti* sint, & ad Græci textus originalis emendandi normam.  
Atq; hoc ipsum est non minimum, ob qvod irrito li-  
cerat conatu, tantopere in nostrates invehitur Nihusius.  
Dicūt nim. nostrates, & rectē dicunt, *mendo laborare* illos Codices, qvi legunt *Sic*, sive etiam *si Sic*: cūm ta-  
men Græcus textus, quem ipsius Christi loquenter  
scopus etiam egregiè confirmat, reqvirat sc̄. Hoc i-  
psum postqvam clarissimus adserit quoq; Calixtus in  
Harm. sua Evangelica, ac scribit: *Deceptus (Augustinus)*  
*mendo Codicis, qvod etiam tum temporis in Latinam edi-*  
*tionem irrepererat, & etiamnum bodie à Pontificiis*  
*non tollitur, verba Christi non satis feliciter expedit.* Qvid  
ad hoc Nihusius? *stulte sic*, exclamat, *Calixtus. stultus,*  
*inquam es, mi Calixte;* mendo enim carent ejusmodi Co-  
dices, licet hujus tu rei sis imperitus. Sed bona verba-  
qvæso, Nihus! ipsi etiam socienni tui, quorum præ-  
clarissimis lucubrationibus schedulæ Tuæ, meritis ca-  
lumniis refertæ, conferenda neutiqvam sunt, men-  
dum in hac lectione agnoscunt, mirantur, deplorant.  
Visne audire? Non toedio mihi erit ob oculos eorum  
aliquos tibi ponere, ut videas, qvām ineptè *stultitiae*  
*imperitiae* arguas tantos sedis Romanæ para statas,  
qvorum Commentarios non indoctos vel non inspe-  
xisti, vel de qvibus nec judicare potuisti. Neq; hoc  
mirum!

mirum. cùm sicuti de pictore , sculptore , factore nisi artifex judicare potest, ita nisi sapiens non posset perspicere sapientem, ut habet ille. Sed dicat forsan aliquis, BARtol DUM nostrum Nihusium ex suo ingenio, qvin & nomine , alios metiri, indeq; de viris etiam Doctissimis ac de re litteraria longè meritissimis stolidè adserere , qvòd sint Stulti , stolidi , fatui , bardiblenni , bucones . id qvidem verum est: sed an propterea ipse excusatus vel excusandus? *מִן יְרוּשָׁלָם!* Verùm enim verò cū nec ipse Nihusius, qvi vult omnino esse aliquid, concessurus opinionem assertionemq; istam sit , qvare judicent modò periti , annon quadret in Nihusium egregium illud Arabum Adagium: *מן הרך נפשו במנורה אלעאקל* Apponam versionem Latinam, qvò Nihusius sensum ed percipiat melius; ita verò sonat Latinè: *Quis iesipsum habet pro sapiente: habent eum DEUS & homines pro incepto.* reliqua nominis *שְׁנַיְנָה* significata qværat hujus rei cupidus apud Schindl. p. 285. Lex. Pentagl. & dispi ciat, num & illa Nihusio competant, si contulerit Hypod. p. 71. 72. 242. Ast Stulti tn. illi Tibi, Nihusi, nihilominus sunt. qvare? qvia V. V. nævos indicare ac profiteri non erubescunt. en egregiam rationem! atq; lob hanc ipsam tamen etiam causam nemo non ferè Lutheranorum Doctorum *stultus* tibi audit. Sed sint tales in stulto Nihusii cerebello, aliter enim longè, nisi vehemēter fallor, eruditiores inter Catholicos Romanos de nostratium, aliter etiam nostrates de Catholicorum judicant eruditione. Quid vero eruditissimi inter Pontificios de corruptâ istâ versfonis, qvā defendis Nihusi, lectione censem? *Legendū esse si & non,*

non, sic, ut multi tamen libri CORRUPTI habent, meritò adeò certum esse debet, ut de eo contendere PRO-  
TERVI videatur, qui inveteratum ERROREM agno-  
scere nolit, aut agnatum corrigere: sunt expressissima  
verba Corn. Jansenii Episcopi Gandavensis, de cuius  
Comment. in Concord. Evangel. gravissima addu-  
ximus Cap. 2. censoris Apostolici alteriusq; judicia.  
Quid Maldonatus Tuus? claris profitetur de l.c. verbis,  
quod in omnes ferè (Jansenius tamen testatur, plerosq;  
Codices si legere) Codices Latinos pervaserit, eosq; IN-  
CREDIBILI Scriptorum NEGLIGENTIA CONTA-  
MINARIT, NULLA prorsus specie probabilitatis. Pla-  
cetne audire Contzenium, acerrimum aliàs Lutheranorum  
hostem? is postquam diu, qvī corruptam,  
hanc ac mendosam lectionem cum textu Græco con-  
ciliare posset, irrito conatu laborasset, fateri tandem  
non erubuit, NULLO MODO adverbium similitudi-  
nis esse retinendum. Noluit qvidem erratum profite-  
ri Conzenius, interim rem ipsam nobis facilè largi-  
tur. Eadem forsitan & Esto Doctissimo Commentato-  
ri mens fuit, licet non apertis indicare illam ver-  
bis ausus sit, miratur enim Biblia Sixtina editionis reti-  
nere sic. Quid tandem Bonfrerius, magna sanè eruditio-  
nis Commentator? Non veretus profiteri: Faci-  
lē potuisse hic in Latinis LABI Librarios, non eque in  
Græcis. præf. ad Sc. S. p. 47. Doleo vicem tot clarissi-  
morum Virorum, qvorum famæ tanta à Nihusio so-  
cienco proprio inuritur Stultitia macula. Satiūs  
cum illorum laboribus actum forsitan fuisset, si subje-  
cti priūs, qvām publici juris fierent, Nihusii censuræ,  
accuratissimæ scilicet, fuissent. melius certè ac  
rectius, si Diis placet, Auctores fuisse informatos  
qvis dubitat, si, qvod Nihusius de Ultrajectinis prodit

## XVI.

p. 241. horum sequuti exemplum, quæ verelam suam (descriptorum vitiis in V. V. occurrentibus) apud Aristarchum hunc depositissent. Sed temporis hoc ex parte adscribendum injuria est, quippe eâ viventes tempestate, ubi Nihusii eruditio nondum orbi innotuerat, vel ubi nondum existebat commune hoc orbis oraculum. Nemo verò amplius miretur, cur toties Calixtum, Corn. Martini, B. Parentem meum aliasq; inter nostrates, à quibus videlicet Nihusius Apostata factus, divortium fecit, indeq; odio plusquam Vatiniano eos prosequitur, sculorum insigniat Nihusius titulo, cum eundem & gravissimi inter ipsos Pontificios Viri ab ipso reportent, ὅπερ ἔδει δεῖξαι. His scilicet flosculis herbulisq; lucubrationis Nihusianæ folia sunt referta, quibus num pariter quis ac Nihusius capiatur, illas per volvendo sibi imaginetur, ac si illic in campo vere novo ac per ameno, subsistat, vel subsistere etiam velit, botanici instar, ubi lustrandum, quid flosculi, quid herbulæve, nolo eqvidem temerè certi quid statuere. Habent omnino in Nihusio gravissimi inter ipsos Pontificios Viri flosculos, quos sibi decerpant. Habet Jansenius, habet Maldonatus, habet Estius, habet Bonfrerius, ceu ostensum modò fuit. An tamen consensum Nihusio præbituri rectè sentientes & æqui rerum æstimatores sint, pariterq; affirmatur, istis quasi (verè quasi, nemini n. Nih. persuadet, illecebras esse hujusmodi calumnias) illicis oculos dū capiendo lubens dat Nihusius, nihil quidquam ipsum patrare, quod viro bono impermissum aut, suo eum jure, quippe hominem liberum, recte uti, eqvidem addubito vehementer. Ut ut enim in medio relinquam rationem Nihusii, quare Lutheranos debitâ defraudet eruditonis laude, quia scilicet à librorum censoribus obser-

Pref. p. 7.

Pref. p. 7.

XVII.

*servare sibi prescriptas regulas ius&is, ea Catholicorum,  
scripta non adprobentur, in quibus quis non abstinerit p. 262.  
ab encomiis eorum, qui Ecclesiam Catholicam ( Ro-  
manam intellige) non honore ullo, sed infamia, fermè  
ubicung, possunt, affecerint palam: Existimo tamen, et-  
iam si non ita crebro in nostros debacchatus Theolo-  
gos Nihusius fuisset, tamq; iracundè acerbissimisq;  
verbis tela sua, qvibus tamen furoris oestro præfa-  
scinatus ignorans Nihusius per nostrorum latera su-  
os qvoq; gregarios aperte vulnerat, vel vulnerare sa-  
tagit, in eosdem vibrasset, nihilominus precibus im-  
petrare à Censore eū potuisse, vi quasi extortā unicā  
illam vocem: *imprimatur*. Forsan facilius adproba-  
tionem hanc ac majori verborum encomio conse-  
quutus Nih. fuisset, si non adeò importunus in nostra-  
tes, Viros non mintis doctos qvam apud Pontificios,  
ipse fuisset, cum primis etiam in iis, in qvibus ipsos  
eruditiores inter Pontificios habent consentientes.  
*Q*uod ipsum ubi libri Nihusiani Censor, Vir sine du-  
bio in librorum lectione nonnihil magis versatus  
qvam Nihusius, deprehendit, mirum non est, indi-  
gnabundum quasi ac importunitate Nihusii supera-  
tum unicam istam adscripsisse vocem: *imprimatur*.  
Ita nimirum Maimonidis illa gnoma verissima est:  
לִבְרָת הַחֲכֹמֶת יֵשׁ לְהָבֵד שְׁנִים וּוֹאֲרָת כְּזַבְּן  
habent oculos, qvibus id vident, qvod non vident  
stulti.*

C A P U T IV.

*C*onsequentiæ Nihusianæ specimen exhibetur, & qvam  
ridiculus ille philosophus sit, indicatur. Patres qvos-  
dam Latinos per Vulgata Versionis Codices corruptos fu-  
isse seductos, N ihusio conceditur. In specie de Augustino,  
contra ipsum quoq; Erasmum, Guilielmi Estii lapsus,  
Nihusii Thesaurus criticus expenditur, qvam innocens Ni-

XVIII.

husius Aristarchus sit, uno atq; altero exemplo ostenditus.  
Locus 1. Tim. 1, 17. ventilatur in gratiam Nihusii novi Cri-  
tici. Schindlero absensum. Nihusius infasto omne fe-  
nem se deponitum vocat.

**S**ed è diverticulo redeundum tandem in viam est,  
ac dispiciendum, qvibus rationibus juxta cum  
Calixto Jansenium, Maldonatum aliosq; Nih. con-  
vincat, ac démontret, non esse h. l. in Vulgatâ men-  
dum, atq; adeò rectè se adseruisse, stultos esse, qvi men-  
dum hic subesse profitentur. Admissi qvæso risum tenea-  
tis amici. Dixerat Nihusius: *Stultus, inquam, es*,  
*mi Calixte;* ( cum Calixto verò Jansenium simul,  
Maldonatum item ac alios Pontificios à Nihusio vapu-  
lare hic, ostensum capite præced. fuit) mendo enim  
carent ejusmodi Codices, licet hujus tu rei sis imperitus.  
Rectè itaq; Tirinus commentatur: *Sic eum volo manere.*  
*in Graco & Syriaco est, si eum volo manere. sed Romana-*  
*Sixtina melius, sic, id est sine violentia morte volo Joha-*  
*nem in mundo agere, &c.* Videte consequentiam!   
quia Nihusius dicit, *stultum esse Calixtum, mendos ca-*  
*rere ejusmodi Codices,* ( qvos Calixtus, Jansenium ac  
Maldonatum, famulos ac sateruditos inter Pontifi-  
cios viros seqvutus, corruptos à librariis adserue-  
rat) licet hujus rei imperitus sit Calixtus; itaq; rectè com-  
mentatur Tirinus, *Romanam Sixtinam melius habere,*  
*quam Gracum itemq; Syrum.* Cui hæc consequentia  
non risum movet, adspiciat ac perpendat disjuncti-  
vum Nihusii syllogismum, de quo ita ipse: *phiло-*  
*phor mecum hunc in modum;* *Corn. Martinus, aut sorti-*  
*tus est gloriam cœlestem, aut eternis addictus est suppli-*  
*cis in inferno* ( purgatorium enim qvi non credunt,  
id habere privilegi Nihusius adserit, ut in Purgato-  
rium qvoq; non detrudantur) *Si prius; non indigna-*  
*bitur, sed potius DEUM laudabit, qvòd in ejusdem*  
*honorem, per me fuerint moniti homines improvidi,* ne  
tri-

tribuant quidquam iis, quæ continentur libello de analyse Logica contra Ecclesiam Christi Catholicam. Sin posterius; optimè quoq; à me factum agnosceret; quia cæteroquin plures ex opusculo eo seducerentur, & sic pœna ipsius evaderet cum tempore gravior atq; acerbior. Ita sc. Nihusius secum philosophatur, quām benē, illi dispiciant, qui caput non in calcaneo gerunt. neq; tamen vereatur adserere Nihusius, idem quoq; dicturum ipsummet Corn. Martini, qvin nec omissurum, gratias sibi agere ingentes, si miscere nunc secum sermones posset. Cœterum ne sine ratione vel auctoritate dixisse videatur Nihusius, quod adseruerat, mendo sc. carere Codices istos, qui sic pro si habent, en animum advertere lectorem jubet ad illa, quæ subjicit ex Prisciano & Trapezuntio, atq; ex illis penitus constare putat & primariis pridem Grammaticis probata esse, quæ de èav antea dixerat; Scil. èav & si in utraq. Lingvâsum simul conditionaliter & assertivè. Ast cùm restet, ut qvomodo Patres, qvorum auctoritatem magni omnino Pontificii faciunt, puto verò etiam Nihusium idem factitare, legerint, prius ostendam, quām de verborum sensu agam: qvapropter capite hòc id ipsum monstrare conabor, ac primò ostendam Patres qvidem nonnullos Latinos ita legisse, sed eosdem erronea ita Lectione per sic fuisse seductos, alias verò etiam si agnoscere. 2. evincam Græcos Patres omnes per si, non verò per sic legisse ipsorum Pontificiorum testimonio, atq; adeò hypotheticè quoq; intellexisse. De Latinis quidem Patribus primò agere loco placet, non qvæ illos Græcis antiquores esse censem, vel etiam qvæ eorum auctoritatem faciam majoris atq; Græcorum, sed qvia Nihusius cum Tirino horum præcipue meminit, omissis Græcis. Tantum verò abest, ut inficias ire velim, Latinos qvosdam Patres ita hunc lo-

cum per sic legisse atq; etiam adsertivè intellexisse, ut  
 potius de Augustino diversum sentientem Ensimum,  
 existimantemq; locum in Augustino corruptum esse, & ab  
 indocto quodam scio si in Sic mutatum, cum B. Parente  
 deseram, & ex operosa Augustini de vero loci hujus  
 intellectu disputatione colligi posse affirmem, ipsum  
 omnino legisse: *Sic volo eum manere*. Fallitur etiam  
*Guilielmus Estius* Commentator S. Sacrae non indo-  
 catus, quando Jansenio tribuit, ac si statuat, *Augustinum*  
*h. l. per si legere*, sed id Jansenius non adserit. Hoc sal-  
 tem scribit, qvōd eadem depravatio (arrige Nihusi au-  
 res!) que hoc loco conficitur, dum scil. pro Conjunctione  
 si in Vulgata Versione adverbium *sic* legitur, non  
 hic tantum acciderit. Eadem enim, inquit, et iam accidit  
*Psal. 62.* ubi cum Latinis jam paſsim legant, sic memor fui  
 tui super stratum meum, &c. *Græca & Ebræa* conſtan-  
 ter habent, si, qvomodo *Augustinus & Hieronymus* legunt  
 in Commentariis. Adducit etiam *Tirinus*, & ex eo Nihu-  
 sius pro lectione hāc *Emissenum* atq; *Rupertum*, qvibus  
 haut invitus adjungo *Venerabilem Bedam*, cuius sicut  
 & coeterorum post eum mentem ita explicat *Jansenius*:  
*Non cum per passionem martyrii volo consummari, sed*  
*absg. violentia persecutoris dicim expectare novissimum,*  
*quando ipse veniens eum in eterna beatitudinis mansione*  
*recipiam placide sine dolore violentia mortis.* Hacenus  
*Jansenius*, Nihusius si verba iſthac ex Jansenio excer-  
 pere deberet, Criticum posset agere, sed talem, qua-  
 lem ſapē ſe prodiſ h.e. ridiculum. Legitur n. in Jan-  
 senio mendo typothetæ *violente pro violenta*. Talia  
 quando in nostrorum scriptis Nihusius reperit errata  
 typographica, putat se tale qvid inveniſſe, qvod pue-  
 ri non in faba. Exemplum desiderat quis? en egre-  
 gium, & ex quo tanquam *εξ οὐρανῶν τὸ λεοντῖ!* Scrip-  
 rat

rat Excellentissimus *Glaſius*, Præceptor meus æternum colendus Philol. S. lib. i. edit. recent p. 77. in explic. & concil. loci 2. Sam. 8, 26. & 2. Paral. 22, 2. ad illud configimus ultimò, ut in viam (qvid verò est illud, ingeminat Aristarchus Nihusius, in viam? voluitne dicere, in inviam, vel an in vivam aut vivarum?) aquarum scaturiginem incidens lapillus &c. ò admirandam conjecturam Nihusii! qvam tamen vel pueris concipere, de facili esset. ac liberari à scrupulo Nihusius facile potuisset, si modò evolvisset locum ab ipso *Glaſio* pag. ead. citatum, videl. *Num. 3:39*, p. 115. ubi erratum typographicum abest. Sed anne exercitationem criticam magis adhuc intricatam difficultoremq;, sed in cerebello Nihusii, audire placet? haut erit referre grave. Exclamat p. 253. Nihusius sect. 39. ubi verbum, in *Lutheranorum etiam cœtu familiarissimum*: Soli DE O honor & gloria? Non detrectat criticam in parenthesi subjungere limam suam: qvod tamen, scribit, haut legitur sic, i. ad *Timoth. 1:17*. sed cum Commate post voces duas primas. Ita scil. curiosus Nihusius est. Qvis verò audivit unquam, post unicum adjectivum & substantivum in casu obliquo posita, aliudq; nomen in casu recto, ad qvod illa duo referuntur, immediatè sequēs, interseri comma? Qvod verò in loco isto *i. Tim. 1,17*. comma in textu Gr. sit insertum, exinde est, qvia plura præcedunt DEI Opt. Max. epitheta. Si tamē observare qvid de loco hocce Nihusius voluisset, notare potuisset, *Vulgatum* minus rectè omisisse ibidem dictionem οφω, qvam tamē juxta cum textu authentico Græci Patres constanter legunt, qvicq; etiam sit de *Syro & Arabe*, qvos deprehendi, illam pariter prætermissee. Ilbi etiam obiter noto de verbo in *Ara-*

be

**XXII.**

*Le* Interpr. l. c. occurrente יְרֵשׁ, qvòd cum puncto supra וּ etiam mutavit notet, cōtrā ac putavit Schindl. in Lex. Pentagl. Et hæc quidem ~~אֲכָל~~ in gratiam Nihusii, è qvo plura superioribus non absimilia, acuminis critici ~~לְעִנְחָרֶת~~ proferre possem, si hoc jam agerem, vel etiam nisi vererer, ne nimis iniqvus in Bibliopolam sim, si omnia Thesauri critici Nibusiani ~~לְעִנְחָרֶת~~ exponere tam facile velim. Quid potius emat sibi Nihusii lucubrations, qui sitim suam hisce delitiis restinguere concupiscit. Ast annon in ipso qvoq; Nihusio relicta etiam errata typographica sunt, qvę linceos ipsius effugere oculos? Ita sanè omnino. & ridendi omnino materia abunde qvædam suppeditarent, si Nihusio quis ea adscribere vellet, ac pro arbitrio emendare, videatur saltē p. 172. l. 17. p. 201. l. 10. p. 202. l. 20. p. 224. l. 4. à f. p. 269. l. 27. Sed non minus risui sese exponet, qui talia arripere & exagitare, tanti putaret, qvam Nibusius, senex cum primis sexagenarius. Mirum tamen mihi videtur neutiqvam, Nibusium in hisce *senem* licet *deponitum* (qvod nomen videat ne malo omni sibi tribuisse videatur: fama enim ad nos allatū, ipsum superiori tempore Amstelodami de ponte, nescio an à turba, an verò à spiritu aliquo malo fuisse dejectum ac difficulter evasisse; desinat verò tripudiare, qvòd *questus nunquam fit*, se casu passum ullo membrifragii qvidqñā aut luxationis) gloriā querere, consideranti videl. illud sapientū Ebraorū: *חַכְמִים כָּל עַד שְׁתִים מְקוּנִים חַכְמָת נֹזֶפֶת כְּחַבְבָּס וְעַמִּי הָאָרֶץ כָּל עַד שְׁתִים מְקוּנִים טְפֵשָׂוֹת נֹזֶפֶת בְּחוֹם;* qvod legitur Schabbath live Talmudhiṣ Babylonici Seder *מִשְׁעָד שְׁבָתָה* f. 152.

*De cœteris in Dispp. seqq.*

D1 A 6640



5b.

V D 17

2

B.I.G.

Farbkarte #13



D. J. G.  
ad

Comma 22. Capitis XXI.

D. JOHANNIS

# EXERCITATIO

## PHILOLOGICA,

Bartoldo Nihusio Sacerdoti Pontificio

O P P O S I T A,

Inq; illustri Academia VVittebergensi

PRO LOCO

In Amplissima Facultate Philosophicâ bene-  
volè sibi adsignato

Publicæ eruditorum disquisitionis submissa.

M. JOHANNE ERNESTO GERHARDO  
JENENSİ,

Respondente

M. JOHANNE Hiper Coburgensi Fr.

a. d. 20. Decemb.

In Auditorio Majori horis  
matutinis.



VVITTEBERGÆ,  
TYPIS JOBI VVILHELMI FINCELII,

ANNO CLX IOCXLI.

